



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Militia Immaculatae Conceptionis Virginis Mariae, Contra Malitiam Originalis Infectionis Peccati**

**Alva y Astorga, Pedro de**

**Lovanij, 1663**

Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13965**

A D

# LECTOREM.



**I**nter omnium argumentorum genera, ad firmandam, seu in corde stabiliendā aliquam hypothesim, infimum esse illud petitum ab extrinseca auctoritate, res est per se nota, à multis jam exagitata, ac in iudicij staterā appensa, roboris minus habens invenitur. Quid enim prodest homini litterato, si universum mundum lucretur pro aliqua opinionis parte, si veritas detrimentum patiat? Hoc enim solido fundamento deficiente, quo ædificium altiùs pro tenditur, & lapidum multitudo coacervata in cumulum congregatur sine veritatis calce, eò citiùs, atque faciliùs erectum opus ad ruinam disponitur.

Hæc de Conceptione Sacratissimæ Virginis MARIÆ controversia jam à quingentis exarsit annis, sub Fidei centro de peccato originali ab Adam seminaliter propagato per omnes suæ posteritatis filios, suum sumpsit initium, & incrementum: sed dum quærerent veritatem, qui oppositam de maculato Conceptu propugnabant opinionem, cum pro illa exigua admodum, aut nulla invenirent fulcra, ad congeriem Auctorum, atque Doctorum ex omni statu per diversas classes Sanctorum, Pontificum, Theologorum, Concionatorum, & Canonistarum, &c. calamum diverterunt, ita ut, congregato exercitu trecentorum quindecim Doctorum, dicerent uno ore (quod adhuc hodiè intrepidè repetunt) totum Catholicorum exercitum militare pro se.

Per oppositum verò pro nostra præservationis sententia ita paucos recensebant milites, ut novissimè quidam Arpalégus in rescripto suo ad Summum Pontificem Innocentium X. referendo ipsorum nomina solummodò enumeraverit sex, ex quibus aliquos dicit esse Auctores parvi momenti; sed in utraque assertionis parte deficiebat veritas, quæ arbitra facta, inter illam ingentem multitudinem pro sua opinione, & paucitatem istam pro nostra sententia, invènit in **SOLE VERITATIS**, quòd exclusis Auctoribus Ordinis Prædicatorum, sui non pervenirent ad sex, & adhuc inclusis istis non ascenderent ad triginta. Et si iterum dixerint calculationem istam non esse rectam, non propterea contendemus: nam in secunda revisione ad **SOLIS RADIOS**, ut de nullo conquerantur errore, iterùm supputabitur alià novâ exactiorique Arithmetica.

Restabat tamen pro ultimo complemento, ut Auctores pro nostra pia sententia in lucem prodirent, ut palam viderent ipsi, & totus terrarum orbis, an essent omnes pro sua opinione, ut passim dicebant; vel sex tantùm pro nostra sententia, ut modò dicunt; vel sex millia, aut etiam, si computandæ essent Ecclesiæ, Missalia, Breviaria, Universitates, & libri diversi, licet ejusdem Auctoris, & multa alia, quæ quasi in una colliguntur cohorte, essent non sex, sed sexaginta millia. Hoc unum fateor, scilicet, non omnes esse expressos, & formales pro præservationis sententia, cum aliqui obscurè & ambiguè loquantur, præcipuè ex illis, qui sunt ex Ordine Prædicatorum, quos in medium adduximus, ut cognoscatur saltem nihil scripsisse contrà, addito brevissimo scholio ad detegendam ipsorum mentem, præcipuè antiquorum.

De

De legalitate verò in transcribendis originalibus potuit esse aliquis error ex inadvertentia invincibili, & humanâ fragilitate; sed quòd nec unam litteram mutaverim ex destinato animo, hoc sine ullo scrupulo possum testificari. In Amanuensis transcriptione factâ Matrivi à Presbytero D. Joanne de Tholedo, in Belgio constitutus tempore editionis invèni aliqua non rectè legisse ex meo charectere, cum nullum facerent sensum, præsertim in Auctoribus Græcis, quæ necesse fuit hujusmodi signis . . . . in aliquibus locis notari. Sed cum hoc sit in antecedentibus, vel consequentibus sententiam formalem de Virginis Dei Matris puritate, sensatis res erit parvi momenti: & si malevolis fuerit occasio alicujus offendiculi, corrigant, quia solùm veritatem desideramus.

Procesi Ordine Alphabetico non per classes, quia opus hoc est quasi quidam Index universalis omnium Auctorum scribentium directè, vel indirectè, ex professo, vel incidenter, quæ spectant ad hanc materiam, vel concernere possunt. Si aliquis aliter structuram desiderat, facillimè poterit modò per personarum diversos status Summorum Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, &c. usque ad Poëtas & fœminas illam distribuere. Sunt enim circa hoc frequenter diversa, immò opposita ingenia hominum. Feci quod potui, & qui alia invenerit, addat; quia sicut in scribendis libris non erit finis usque ad consummationem sæculi, ita neque iste erit in laudibus Sacratissimæ Dei Matris Virginis MARIÆ, & Filij ejus Domini Nostri JESU CHRISTI; cui sit laus, ut erit in æternùm, quia nobis dedit vitam, & vires, ut hujus laboris videremus ultimum complementum.

### Approbatio Cenforis ordinarij.

**L**ectulum Salomons olim ambiebant sexaginta sortes ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, &c. *Cantic. 3. At mysticum illum mystici Salomons Lectulum nunc ambiunt, & circumdant plusquam sex millia Virorum ac Heroum sago, togæque, seu religione & doctrinâ præstantissimorum, quos recenset hæc MILITIA adversus Malitiam, à Reverendo Admodum P. F. PETRO DE ALVA ET ASTORGA, Lectore Jubilato, Supremæ Inquisitionis Qualificatore, &c. conscripta, cujus Tessera Militaris est. Vivat Immaculata Conceptio Deiparæ Virginis; ad illam enim tutandam, omnes sunt tenentes calamos, & libros, velut gladios, hastas, & amentata jacula. Prodeant igitur è prælo in prælium, ad majorem Matris Virginis, & Filij ejus Redemptoris omnium gloriam: habent enim faventem sibi Solem Veritatis per diem, & Lunam per noctem; sed illam Lunam, quæ tota pulchra est, & sine macula. Datum Lovanij hæc 20. Octobris 1663.*

A. DAVE' S. Theol. Doctor, & Professor Regius  
Primarius, nec non Libr. Visitator, & Cenfor  
Apostolicus, & Archiep. Mechliniensis.

**B**onam Militiam in promovenda Deiparæ Immaculatè conceptæ gloriâ strenuissimè dudum militavit, ac etiamnum militare non cessat R. A. P. F. PETRUS DE ALVA ET ASTORGA, Ordinis Sancti Francisci Pater, ac ex-Procurator Generalis, S. Theol. Lector Jubilatus, Supremæ Inquisitionis Qualificator, dum in suo opere, cui titulus: *Militia pro Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis MARIÆ, contra malitiam peccati originalis*, validissimè circumdat domum illam, in qua habitavit Altissimus, ex his, qui militant Deiparæ Immaculatè conceptæ: ac instar Ducis peritissimi è militibus, unde quaque copiosissimè non sine maximo labore & studio collectis, instruit veluti castrorum aciem ordinatam, hostibus cunctis, in suis copijs SOLI VERITATIS expositis, ac dispersis frustra gloriantibus, meritò terribilem. Proinde lucem meritissimò opus hoc videbit, lucem mysterio non modicam allaturum. Ita censuimus Lovanij in Conventu nostro Fratrum Minorum die 31. Augusti 1663.

Fr. GUIL. HERINCX, S. Theol. Lector Jubilatus, ac  
Provincia Germaniæ inferioris Cussos.

Fr. JOAN. BOSCO, S. Theol. Lect. Jub.  
ac Prov. Germ. inferioris Dissinitor.